Philol.
315
u

Philol. 315 m
Herelius

ANIMADVERSIONES CRITICAS MISCELLAS,

MVNVS

DOCENDAE PVBLICE PHILOSOPHIAE

ET

LITTERARVM ELEGANTIORVM

AVSPICATVRVS,

EXPROMIT

IOANNES FRIDERICVS HERELIVS.

(1768)

TYPIS HENR. RVDOLPH. NONNII, ACAD. TYPOGR.

Exhibit 77 A
Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google



Insignis est profecto atque præclara virorum, eruditionis laude, ingeniique florentissimorum, opera, quam scriptis veterum immortalibus, temporum superiorum licentiæ, quadam fortunæ benignitate subtractis, cum illustrandis, tum a sordibus, quibus ea descriptorum ignauia & inscitia indigne fœdauerat, repurgandis, atque pristino nitori restituendis, felicissime impenderunt. Quæ res quamuis subinde plurimos, patrum maxime nostrorum memoria, tenuerit occupatos, hodieque teneat, tantum tamen abest, vt libros Græcorum Romanorumque habeamus emendatissimos, iamque obseruationum criticarum abundantia laboremus, id quod homines quidam inepti iactare solent, atque ego ipse olim ex viris, si Dis placet, Doctissimis, qui nisi litteras

manſuetiores inter auunculos & conſobrinos, quauis data occaſione, carperent, minus ipſi ſibi pulchri & beati viderentur, ſæpius audiui; vt potius ſcriptorem antiquum nullum iunctis licet multorum ſtudiis adeo diligenter perpolitum, caſtigatumque deprehendas, in quo non obſcura, peſſimeque affecta plurima occurrant loca, quæ ſcrupulum lectori attento iniiciant, vlteriusque cupientem progredi remorentur. Atque vtinam, qui veterum auctorum libros, honeſto, liberalique cultu in lucem prodire iubent critici, eam ſemper tenerent rationem, vt quæ varii paſſim ad emendandum ſcriptorem declarandumue, obiter, & aliud quaſi agendo contuliſſent, ea collecta ſtudioſius, quam fieri animaduertimus, amplis & perpetuis ceterorum commentariis adiungerent! Accidit enim ſæpe, vt enodationes locorum quorundam feliciſſimæ, in libris, vbi haud facile quæſiueris, propoſitæ, haud alia de cauſſa male neglectæ lateant, ac fere ignorentur, adeo, vt ſi vel ſplendidiſſimas editiones euolueris, tamen, quæ tibi ſuper quibusdam venerint in mentem, nullusne interpretum pridem præceperit, an primus ipſe obſeruaueris, incertus nonnunquam cogare ambigere. Equidem, cum ab ineunte ætate ingenti amore ſtudioque pertinaci egregia priſcæ ſapientiæ monumenta proſequerer, hanc in euoluendis veterum libris mihi ipſe legem dixi, ne quidquam præterirem temere, quod vel ſcriptoris menti, ſermoniſue indoli repugnans, vel aliis difficultatibus impeditum, culpam potius librariorum, quam illibatam archetypi exemplaris integritatem præ ſe ferre videretur. Quas igitur, adhibitis in conſilium, nunc fruſtra, nunc cum fructu

ctu interpretibus primariis, libris etiam, criticas obſeruationes continentibus, quorum maximum numerum mihi ſuggeſſit Academiæ Gottingenſis, benigniſſimæ ſtudiorum meorum altricis, cui Deus faueat! bibliotheca vere regia, mihi relictas eſſe deprehendi in loca, ſuſpecta vitii, coniecturas, earum particulam quandam iuuat nunc expromere, non quod ipſe multum illis putem tribuendum, ſed quo viros, a litteris noſtris non alienos, ad eas examinandas, atque aut ſtabiliendas vlterius, aut felicius reformandas publice velut inuitem. Quod ſi quis forte nimium minutiarum ſtudium in me reprehendat, qui melius, quam magni Mureti, idonei, ſi quisquam, harum rerum æſtimatoris, verbis me defendam Var. Lect. L. VIII. c. IV. *Quotidie magis intelligo, verum eſſe id, quod ſemper exiſtimaui, nullam eſſe mendam tam puſillam, quam non permagni interſit e veterum monumentis tolli & corrigi?* — Quamquam per me quidem rideant, clament, tumultuentur, quibus volupe fuerit & commodum; quid, quod beatam formularum copiam, quibus id genus ſcriptionum pulchre ſcienterque diſtinguere moris eſſe aiunt, ac nomina criticorum bene multa, præmiſſis *conf.* & *vid.* notis hercle! doctiſſimis, ad partes vocanda, a ſcidis meis peſſimo exemplo abeſſe querantur; nunquam tamen me, vt ab ingenio recedam, compellent. —

Pallentes procul hinc abite curæ!
Quidquid venerit obuium, loquamur,
Moroſa ſine cogitatione. —

Lib. I. epiſt. XXXV. Alciphronis mei, (quidni enim meum appellem ſcriptorem venuſtiſſimum & ingenioſiſſimum, quem ego ſemper in deliciis habui, nec vnquam ſine iucundiſſimo voluptatis ſenſu euolui?) p. 154. ed. Bergler. Simalion adoleſcens Petalam amicam, quæ faſtidiebat egentem, quæſtibus facundis ah! fruſtra delinire cupiens, leuem puellam ſic alloquitur: Μικρὰ δὲ ἔπεσί μοι παραψυχὴ, καὶ μαραινόμενον ἤδη παραμύθιον· ὃ μοι ὑπὲρ τὴν λυπρὰν ἐν τῷ συμποσίῳ μέμψιν προσέξῃψας ἀπ' αὐτῶν περισπάσασα τῶν πλοκάμων, ὡς μὴ πᾶσι τοῖς ὑφ' ἡμῶν πεμφθεῖσιν ἀχθομένη. *Exiguum quiddam mihi reſtat, quod me reficiat, & langueſcens iam ſolatium, quod in me ſub triſtem illam in conuiuio conqueſtionem iaculata es, ex ipſis capillis euellens, quaſi non omnibus, quæ a nobis mittuntur, offendaris.* Quem locum infeliciter prorſus interpretatum eſſe Berglerum doctiſſimum, valde miror. Reſpici enim hic putat ad prouerbium: ἐκ λεπτοῦ κρέμασθαι, *e filo pendet*, quod Zenobius, Diogenianus & Suidas exponunt ἐπὶ τῶν σφόδρα κινδυνευόντων, *de iis, qui valde periclitantur*, ſimul autem ſpem tenuem, nempe inſtar pili, denotari, de qua prouerbialiter, ἐπὶ λεπτῆς ἐλπίδος ὀχεῖσθαι, *tenui ſpe vehi*. Hanc tenuem ſpem Noſtrum vocare μικρὰν παραψυχήν, καὶ μαραινόμενον παραμύθιον, *exiguum & langueſcens ſolatium*. *Hæc*, pergit deinde, *ſic ſatis certa puto; ſequentia haſitabundus ſum dicturus. Videtur Petale Simalionem in conuiuio illo ſaltem tralatitie & perfunctorie ſalutaſſe, vnde adoleſcenti ſolatiolum illud ortum.* Ὤιμοι, πρὸς αὐτῷ γ' εἰμὶ τῷ δεινῷ λέγειν. *Videtur ſalutantium geſtus quidam fuiſſe, comam ſibi ipſis mulcere, qui ſcilicet promiſſiorem haberent, — De coma probari poteſt ex loco quodam Lu-*

Luciani in Rhetorum præceptore, — sermo est de primo aditu candidati Rhetorices ad magistrum, & quo affatu atque amplexu is excipiendus sit: — ἐπισπασάμενος ὁπόσον ἔτι λοιπόν τῆς κόμης, καὶ ὑπομειδιάσας cet. *demulcens sibi quantum adhuc reliquum est comæ, & subridens.* " Scilicet dum nimis acuti videri volumus, dum abditos scriptorum sensus primi feliciter eruisse, quæ vltro quasi nobis se offerebat, veritatem, varias sectando ambages, male negligimus. Namque vt taceam, gestum hunc salutantium apud Græcos vix alius cuiusdam testimonio, neque adeo verbis Luciani laudatis, idonee probari posse; Alciphronem, si hoc voluisset intelligi, ambigue præter morem, & contorte scripsisse, quomodo, quæso, Simalion sanus inde colligeret, non omnia, quæ miserit, Petalæ sordere sua munera? — Quidnam est probabilius, quam per μαραινόμενον παραμύθιον intelligi florem, quem Petala decerptum e corolla, hanc enim comessabunda gestabat, more sollemni veterum, in amatorem misellum παρ' Εὐφρονιῷ τρίτην ἑσπέραν *apud Euphronium tertio abhinc vespere*, vt paullo ante narrat, iaculata est, quemque ideo recte Noster iam *exaruisse* refert? Quidni etiam iactus iste anxii adolescentis ex mente, donis placatam puellam argueret? Corollas quippe mittere illum consueuisse, Petalæ responsione ep. XXXVI. p. 162. docemur. στεφάνιά μοι, καὶ ῥόδα ὥσπερ ἀώρῳ τάφῳ πέμπει. *corollas mihi & rosas, tanquam præmature mortui sepulcro mittit.* — Sic, puto, turbæ a Berglero temere excitatæ,

Pulueris exigui iactu — quiescunt.

L. II.

L. II. epiſt. III. Pulcherrimæ ſunt profecto litteræ, quãs Menandrum ad Glyceram ſuam dediſſe fingit Noſter, amœniſſimumque auctoris ingenium, artemque ſummam, quid quosuis animi concitationes deceat, qui ſermones ab ignaris conſilii hominibus, quoue ordine proferantur, obſeruandi, haud obſcure produnt. Audimus enim ſcriptorem fabularum nobiliſſimum puellæ adamatæ vnice, quod a Ptolemæo rege, luculenta obſequii mercede propoſita, Aegyptum fuerit vocatus, ita narrantem, vt non tam Glyceræ ſuæ exſpectare ſententiam, quam vti velle videatur hac oblata opportunitate, quanti faciat ipſius conſuetudinem, quam parum præ iſta diuitiis exiſtimet, honoribusque tribuendum, manifeſto declarandi. Id vero qua ſollertia, quam cauta ratione ac circumſpecta facere aggreſſus eſt? Vt ſtatim ab initio, iuris etiam iurandi religione interpoſita, quo deſiderio, omnem cum illa ætatem perpetuo tranſigendi, teneatur, affirmat! Vt Glyceræ amplexus, facilemque ſæuitiam, oſculis mox, lacrimulaque placandam, regalibus fortunis, quas ſperare iuſſus erat, longiſſime anteponit! Vt miſerum ſe, opibus licet, procerumque amicitia florentem, Glycera tamen, quam face mutua torrebat, vrbe patria, Athenis, viuidam vbique libertatis imaginem referentibus, ſpectaculis gratiſſimis, annuoque poëtarum certamine carituram exiſtimat! Certe quoties has litteras, & quæ proxime ſequuntur, Glyceræ, relego, earumque Veneres eximias mecum conſidero, libet exclamare, quod Popius, vates immortalis, in abſolutiſſimo carmine, Heloiſæ ad Abaelardum epiſtolæ titulum præ ſe ferente, cecinit:

Heav'n

Heav'n firſt taught letters for ſome wretches aid,
Some banish'd lover, or ſome captive maid;
They live, they ſpeak, they breathe, what love inſpires,
Warm from the ſoul, and faithful to its fires;
The virgin's wish without her fears impart,
Excuſe the blush, and pour out all the heart;
Speed the ſoft intercourſe from ſoul to ſoul,
And waft a ſigh from Indus to the Pole.

Haud ſane diutius epiſtolam elegantiſſimam macula deformari patiar, librariorum, me quidem iudice, incuria adſperſam verbis his p. 226. Ἐδεξάμην ἀπὸ Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως Αἰγύπτου γράμματα· ἐν οἷς δεῖται μου πάσας δέησεις, καὶ προτρέπεται,—ἐμὲ καὶ Φιλήμονα, καὶ γὰρ ἐκείνῳ γράμματα πεπομίσθαι φασί· καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Φιλήμων ἐπεστειλέ μοι τὰ ἴδια δηλιῶν ἐλαφρότερα, καὶ ὡς ὑ Μενάνδρῳ γεγραμμένα, ἧττον λαμπρά. *Accepi a Ptolemaeo, rege Aegypti, litteras, in quibus rogat omnibus modis, & adhortatur,—me & Philemonem; nam & illi litteras allatas eſſe aiunt; atque ipſe etiam Philemon ſcripſit mihi ſuas indicans, leuiores, atque, vtpote non ad Menandrum ſcriptas, minus ſplendidas.* An, rogo, credibile eſt, Menandrum de litteris, a Ptolemæo ad Philemonem ſcriptis, quaſi rumorem incertum, & ex fallaci plebeculæ ſermone petitum referret, loquutum eſſe, quas tamen, vt ſtatim addit, a ipſo Philemone ſibi transmiſſas, legerat? Non eſt hoc, quam in Alciphrone magni facimus, concinnitatis, atque elegantiæ.

Suſpicor potius, totum illud: *καὶ γὰρ ἐκείνῳ γράμματα κεκομίσθαι φασί*, gloſſema eſſe putidum, ociusque delendum, oræ libria quodam, dignam rem animadverſione credente, allitum, deinde vero a deſcriptoribus male ſedulis reliquæ orationi temere additum. Horum iam nonnulla paſſim Berglerus, plura doctiſſimus quondam Arnaldus in Obſeruatt. Miſcell. indicauit. Quod ſi cui tamen medicina hæc modum videatur excedere, per me licet vocula tantum: *φασί*, eraſa, ΚΕΚΟΜΙΣΤΑΙ, reſcribat. Ipſe tamen, ne quid diſſimulem, priori coniecturæ plus tribuo.

Epiſt. IV. p. 270. Glycera Menandro, atque ita quidem reſpondens, vt palmam ingenii, ſi non præripuiſſe, at certe dubiam vati amatori reddidiſſe videatur, *σόφον*, ait, *ἔχω σε τὸν ἔρωτα καὶ ταῦτ' ἐιδέναι δύνασθαι. σὺ γὰρ μ' ἐδίδαξας εὐφυᾶ γυναῖκα ταχέως παρ' ἐρώντων μανθάνειν, ἀλλ' οἰκονομοῦσιν Ἔρωτες σπεύδοντες. αἰδούμεθα τὴν Ἄρτεμιν ἀνάξιοι ὑμῶν εἶναι, μὴ θᾶττον μαθόντες. Solertem habeo tuum amorem, vt hæc etiam ſcire poſſim. Tu enim me docuiſti, bonæ indolis mulierem cito ab amatoribus diſcere; ſed adminiſtrant rem Amores cum feſtinatione. Veremur Dianam, ſi vobis indignæ ſimus, tardius diſcentes.* Cauſſam vix apparere arbitror, quare Dianam, montium cuſtodem nemorumque, virginem, puellæ propter ingenii tarditatem vereri debeant. Veneri illud curæ fuerit, Muſis etiam fortaſſe, virgines vlciſci indociles, minime Diuæ, cæde ferarum vnice gaudenti, nec blandos amores, litterasue reſpicienti. Deinde etiam, claudicare vehementer verborum ſeriem, ſi quidem ita legatur, atque illa: *ἀνάξιοι ὑμῶν εἶναι*, otioſa reddi & fere

fere ſoloeca, nemo non intelligit. Quin nos reducimus notiſſimam iuris iurandi apud Græcos formulam, ſcribendo: *αἰδέμεθα*, ΜΑ *τὴν Ἄρτεμιν, ἀνάξιοι υ. ε. Veremur, per Dianam, ne vobis indignæ ſimus &c.* Noui equidem particulam hanc vſitate negantium eſſe; ſed neque deeſſe exempla, vſum nonnunquam contrarium docentia, pluribus demonſtrat Bergler. ad p. 242. *μὰ τὴν Καλλιγένειαν,—κατέχαιρον. Calligeniam teſtor,—gaudio exſultabam*, cui adde ſis Reitz. ad Luciani Somnium, ſiue Gallum T. II. Opp. p. 718. & ad Icaromenippum ibid. p. 767. Eandem formulam Noſter ſupra iam adhibuit epiſt. I. p. 200. *ἐμοὶ γὰρ ἐξ ἐκείνε, μὰ τὴ Ἄρτεμιν, οὐδὲ προσέβλεψαν ἔτι πολλοὶ οὐδὲ ἐπείρασαν, αἰδέμενοί σε τὰς πολιορκίας· me enim ex illo tempore, ita Diana mihi ſit propitia, neque amplius adſpexerunt multi, neque tentarunt, reueriti tuas expugnationes*, vbi, quod obiter animaduerto, nec ipſum verbum: *αἰδεῖσθαι*, procul abeſt, & paullo aliter p. 250. *τρέμουσα τότε, νὴ τὴν Ἄρτεμιν, ἀναψύχω. tremens tunc, ita me Diana amet, refocillo.* Ariſtænetus L. I. epiſt. X. p. 24. ed. Abreſch. *Μὰ τὴν Ἄρτεμιν, Ἀκοντίῳ γαμεῖσθαι, per Dianam iuro, me Acontio nupturam*, & paſſim alibi.

L. III. epiſt. IV. p. 282. Paraſitus Trechedipnus ſodalem Lopadechthambum ſuper re, iunctis peragenda viribus, conueniens, ſic, quas fames ipſa miſero dictauit litteras orditur: *Ὁ γνώμων ὅπω σκιάζει τὴν ἕκτην· ἐγὼ δὲ ἀποσκλῆναι κινδυνεύω, τῷ λιμῷ κεντούμενος. εἶεν, ὥρα σοι βουλεύματος Λοπαδέχθαμβε, μᾶλλον δὲ μοχλῶ καὶ καλωδίῳ ἀπάγξασθαι, εἰ γὰρ καὶ ὅλην καταβαλοῦμεν τὴν κίονα, τὴν τὸ πυρὸν τοῦτο ὡρολόγιον ἀνέχουσαν,*

σαν, ἢ τὸν γνώμονα τρέψομεν ἐκεῖσε νέυειν, ἢ τάχιον δυνήσεται τὰς ὥρας ἀποσημαίνειν, ἔσαι τὸ βέλευμα Παλαμήδειον. *Index nondum obumbrat ſextam, ego autem contabeſcere debebo, fame foditatus. Eia, tempus eget conſilio, Lopadechthambe, immo vecte & reſte ad ſuſpendendum. Si enim totam etiam deiiciemus columnam, quæ moleſtiſſimum illud horologium ſuſtinet, aut indicem conuertemus illuc vbi citius poterit horas indicare, erit hoc conſilium Palamedeum.* Hic ſi me iterum gloſſema, neque id abſconditum valde, aut ſinceri ſpecie fallens indagaſſe fatear, nonne credibile eſt, fore, qui audaciſſimi facinoris atrocitate grauiter perculſi, complosis cum gemitu manibus, tremebundi palleſcant,

— Vt nudis preſſit qui calcibus anguem,
Aut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram?

Certe ego ridiculam quorundam in defendendis gloſſis vel nugaciſſimis religionem noui. — Opus eſſe dicit Trechedipnus conſilio, quanam potiſſimum ratione prandium accelerare patroni, & ſtomachum latrantem placare queant; mox ipſe ſtropham facetam, ex fabula, niſi admodum fallor, quadam deperdita ſumtam, in medium profert. Cur nunc inter iſta ſuſpendii mentionem, quaſi rebus deſperatis omnibus, faceret? Non eſt ſermo, niſi de euertenda columna, horologium ſuſtinente, quod confirmant ſequentia p. 283. δεῖ ἓν ἡμῖν τοιοῦτο σκέμμαλος, ὁ καλασοφίσασθαι καὶ παραλογίσασθαι τὴν Θεοχάρες εὐλαξίαν δυνήσεται. *Opus eſt igitur nobis eiusmodi commento, quod decipere & fruſtra-*

ri

ri Theocharis disciplinam poterit, iamque certus, quid agat, apta homo noster instrumenta, vectem, rastemque circumspicit. Quapropter procul hinc facessat ἀπάγξασθαι illud a sciolo intrusum, infesto parasitorum auiditati, atque ideo iram pectore conceptam, oblata hac opportunitate, expromere gestiente. Eundem virum bonum credibile est stulte interpolasse epist. VII. p. 292. vbi parasitus alius miseris modis in conuiuio ad vitæ vsque periculum vexatus exclamat: ὅια γάρ ὅια (πάσχει τὰ δίκαια) λακκόπλθοι ἠργάσαντό με, *hem! quibus modis isti prædiuites me tractarunt!* Rectissime enim Berglerus vncis inclusa, vt spuria & ab ore aliquo parasitorum addita, reiicit, quem adeo labem istam similem non animaduertisse, multum miror.

Ep. XXVII. p. 334. Cogor inuitus fere reprehendere Alciphronem meum, dum nimis indulget ingenio, ac per varias vitæ priuatæ facies libere vagando, quidquid componendis epistolis materiem posset suggerere, nouitatisque gratia sese commendare, in vsus suos conuertere studet, ea fingentem interdum, quæ per litteras transigi aut exponi nullo modo poterant. Salmonis ancilla ingratos Gebelli, domini deformis, amplexus reformidans, loco ignoto se abscondidit, τὴν κάρδοπον, vt fatetur, p. 336. ὑπεισελθοῦσα, ἀμφιθεμένη τὸ κοῖλον τῆς σκεύους εἰς κάλυμμα, *mactram subiens, impositio concauo illius vasis pro tegumento.* Hanc herus fugisse, & per noctem latuisse in virgultis credebat. Cur igitur litteris, cuius latebras ignorat, increpat, aut cur conuiciis mauult atque minis terrere inanibus, quam vi

comprehenſam punire licuit, ſi quidem alicubi in villa commorari noſſet? — Dormitauit hic certe Noſter, quemadmodum epiſt. XLVI. p. 376. vbi paraſitus amico magni pretii mappam ebriis conuiuis ſe ſubduxiſſe narrans, exlamat: ὄρα δὲ, ὡς ἐσι πολυτελὲς, *adſpice, quam ſit pretioſa*, quaſi mappam ipſam, rara inter homines nihili fide, adieciſſet litteris, volumenque transmiſerit ſodali, quale fere *Wichmannuli Anticritici* mappas ſuas chartaceas *Ziegræ Venerabili*, veteri ac ſingulari patrono, publice in *Nigris diariis* laudandas exhibituri, publico curſori, ſoluto etiam vecturæ pretio, fauſta inter vota, optimaque ſpe arrecti, tradere conſueuerunt. —

Epiſt. XLIV. p. 370. Πᾶσα αὐτῷ, καθάπερ Κράτητι τῷ Θήβηθεν κοινὴ ἀνέωγεν ἡ οἰκία. *omnis ei, quemadmodum Crateti illi Thebano communiter patet domus.* Offendit me vehementer illud: κοινὴ; inſuauem enim orationi atque otioſam, denique vix Græcam, repetitionem infert. Quare plures fore arbitror, quibus coniectura mea. minime audax & violenta, ſed ad vocis ſimilitudinem, quam corruptam eſſe, mihi perſuaſi, proxime accedens haud diſplicea: KYNI. *Cynico.* Cynicæ ſectæ addictum fuiſſe Cratetem, ſi locis veterum ſcriptorum vndique operoſe congeſtis, more quorundam docere cupiam, næ ego intempeſtiuus eruditionis oſtentator iure dicar. Res enim vel ex vno Laërtio eſt notiſſima. Κύνας ſimpliciter philoſophos Cynicos Lucianus non ſemel, aliique per contemtum appellant. Noſter ipſe epiſt. LV. p. 406. ὁ Παγκράτης ὁ Κύων, *Pancrates Cynicus*, & mox de eodem p. 412. ὁ Κύων ἔρει κατὰ τὴν κυνικὴν ἀδιαφορίαν,

ρίαν, *Cynicus meiebat pro Cynica indifferentia*, & ep. XL. p. 360. Θεασάμενος ἕνα τῶν μεμηνότων, ὃς διὰ τὸ μανιῶδες πάθος Κύνας ἀποκαλεῖν ἐιώθασιν, — *Cum vidiſſet quendam ex iſtis veſanis, quos propter rabioſum ſtatum canes vocare ſolent.* Mendum ex fortuita ſoni ſimilitudine duxiſſe originem, cum verba ſcribenti librario dictaret quispiam, certiſſimum eſt.

Epiſt. LIV. p. 402. Ἐπ' ἐμὲ πάντες ὥρμησαν. καὶ οἱ μὲν πυξ ἔπαιον, ἄλλοι δὲ λίθοις ἐχρῶντο, *in me omnes impetum fecerunt; atque alii pugno cædebant, alii calcibus inſultabant.* Quare Berglerus mendi ſuſpecta habuerit poſtrema, cauſſam me latere fateor. *Ita ſcriptum*, inquit, *& ferri quidem poteſt, ſed videtur fuiſſe primitus:* ἄλλοι δὲ λαξ ἐνήλλοντο, *quod in verſione expreſſi.* Scrupulum profecto exemturus erat viro eruditiſſimo, ſi commodum ſuccurriſſet, locus Luciani in Lucio, ſiue Aſino T. II. Opp. p. 107. ed. Græu. vbi villicus militem glorioſum, iterque facienti proterue moleſtiam exhibentem, aſtu tandem proſtratum ſolo, κείμενον ἔπαιεν, — καὶ χειρὶ, καὶ ποδὶ, καὶ λίθῳ τῷ ἐκ τῆς ὁδοῦ, *iacentem impedit manu, pede, & lapide de via capto*, quod neque exprimere omiſit Apuleius Metam. L. IX. p. 236. ed. Elmenhorſt: *terræ grauiter applodit, & ſtatim qua pugnis, qua cubitis, qua morſibus, etiam de via lapide correpto, totam faciem manusque eius & latera conuerberat.* Arnaldum itidem in Obſeruatt. Miſcellan. coniecturam proponere ſuper hoc loco memini violentiorem, ſed liber nunc ad manus non eſt. Paullo ante p. 400. in his verbis: ἀπορία δὲ ἦν αὐτοῖς παντελῶς ἀργυρίου, *illi autem care-*

carebant plane argento, malim refingi: παντελῆς. Sic enim L. 1. ep. 1. p. 4. ἀεργία πάντελὴς ἦν, *otium erat ſolidum.*

Sæpius in epiſtolarum inſcriptione, nominibusque hominum periocum confictis, librariorum lapſus deprehendi. Priſtinam lectionem feliciter paſſim reuocauit Berglerus, plura tamen, dum ad librum tertium animaduerſiones fere ex tempore ſcripſit, intacta relinquens. Epiſtolam XLVIII. p. 382. Ἐφελογλύπτης ſcripſiſſe fingitur. Berglerus Νεφελογλύπτης fuiſſe coniicit; ſed verius puto: ΦΛΟΙΟΓΛΥΠΤΕΣ. Infra epiſt. LX. p. 426. paraſiti quidam famelici εἰς τἄδαφος ἐπικύπτοντες, ὁ μὲν ΦΛΟΙΟΥΣ θέρμων ἀνηρεῖτο, ὁ δὲ ἔλυτρα τῶν καρύων ἐπολυπραγμόνει, μήπῃ τι τῶν ἐδωδίμων ἀπεμεῖναν διέλαθεν, ὁ δὲ τῶν ῥοιῶν τὰ περικάρπια — ΑΠΕΓΛΥΦΕ τοῖς ὄνυξιν, εἴ πῃ τι τῶν κόκκων ἐπιδρέξασθαι δυνηθείη. *humum proni ſpectantes, alius cortices lupinorum tollebat, alius putamina nucum rimabatur, ſi quid edibile intus relictum latuiſſet, alius malicoria — ſcalpebat vnguibus, ſicubi quid granorum adhuc nanciſci poſſet.* — Epiſt. LVIII. p. 418. Φιλοναελαδίῳ cuidam mittitur, quod nomen cum ſenſu præter morem careat, Berglero valde corruptum videtur. Quid, ſi corrigamus: ΦΙΛΑΛΛΑΝΤΙΩι? Conuenit hoc nomen paraſito, cui farcimina non poterant non eſſe acceptiſſima. Supra epiſt. VII. p. 292. Hetœmocoro a conuiuis laſciuientibus ad mortem vsque ſaginato, vnus etiam ἀλλᾶντα ἐνέσαττεν, *farcimen inferciebat.* — Epiſt. LXXI. p. 448. Φιλάπορος auctor paraſitus displicet, neque enim homines iſti ſtudio ſectantur egeſtatem, ſed contra inuiti maxime tolerant. Præſtat vtique: ΦΙΛΟΠΩΡΟΣ.

Epiſt.

Epiſt. LXXII. p. 450. Oenocharon paraſitus refert, a Phanomacha, impotentis animi muliere, quæ furtiuis mariti amoribus ipſum fauere ſuſpicabatur, vinculis ſe conſtrictum Cleæneto eſſe traditum. Ἀλλ' ὅταν, pergit, τινὰ θέλωσιν οἱ θεοὶ σώζεσθαι, καὶ ἐξ αὐτῶν ἀναστῶσι βαράθρων, ὡς κἀμὲ τὸ τρικαρήνου κυνὸς — ἐξήρπασαν. *ſed quando aliquem volunt dii ſeruatum, etiam ex ipſo barathro retrahunt, vti & me a tricipite cane — eripuerunt.* Quis talia dicentem ſtatim exſpectet additurum: σάζομαι οὐχ ὑπὸ τοῦ τῆς Ἀτλαντίδος Μάιας παιδὸς, ἀλλ' ὑπὸ τῶν ποδῶν καὶ τοῦ τολμήματος, *incolumis ſeruor, non ab Atlantidis Maiæ filio, ſed per pedes & audaciam meam.* —

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Scilicet hic quoque, quod ſupra obſeruaui, vbertas ingenii fraudi fuit Alciphroni. — Ceterum formulas: κεῖσθαι, &: κεῖσθαι ἐκτάδην, in his litteris obuias, de mortuis vſurpatas proprie, ingenti cum doctrinæ apparatu illuſtrat perill. Klotzius, ſæculi noſtri decus, immortale ad Tyrt. p. 52. ed. alt. & quos ibi laudat Doruill, ad Charit. p. 642. Valkenar. ad Euripid. Phœniſſ. v. 1691. p. 566. & Gataker. ad Antonin. L. IV. Sect. III. p. 124. quibus adde ill. Triller. ad Celſ. p. 763. ed. Krauſ.

Hæc ad Alciphronem in præſenti annotaſſe ſufficiat. Addamus huic comitem Ariſtænetum, terſum ſcriptorem ac ſuauem, multisque leporibus abundantem, quamuis aliquam paſſim labem ex indole temporum ſuorum corrupta traxerit. Copioſius de hoc diſputabimus, theotiſcam, quas com-

poſuit,

posuit, epistolarum, vel potius fabellarum amatoriarum, interpretationem proxime edituri. L. I. epist. X. p. 23. ed. Abresch. qua celebres Cydippes Acontiique amores narrantur, hæc verba occurrunt: Αὐτίκα γοῦν κατὰ τὸ Ἀρτεμίσιον, ὡς ἐθεάσω προκαθημένην τὴν κόρην, τοῦ κήπου τῆς Ἀφροδίτης κυδώνιον ἐκλεξάμενος μῆλον, ἀπάτης αὐτῷ περιγεγράφηκας λόγον· καὶ λάθρα διεκύλισας πρὸ τῶν τῆς θεραπαίνης ποδῶν· ἡ δὲ τὸ μέγεθος, καὶ τὴν χροιὰν καταπλαγεῖσα, ἀνήρπασεν, — δέχου μῆλον, ᾧ κεκτημένη, οἷον οὐ τεθέαμαι πρότερον· — λέγε μοι, φιλτάτη, τί τὸ περίγραμμα τοῦτο; ἡ δὲ κόρη κομισαμένη, καὶ τοῖς ὄμμασι περιθέουσα τὴν γραφὴν, ἀνεγίνωσκεν ἔχουσαν ὧδε· Μὰ τὴν Ἄρτεμιν, Ἀκοντίῳ γαμοῦμαι. Ἔτι διερχομένη τὸν ὅρκον, εἰ καὶ ἀκούσιόν τε καὶ νόθον, τὸν ἐρωτικὸν λόγον ἀπέρριψεν αἰδουμένη, καὶ ἡμίφωνον καταλέλοιπε λέξιν τὴν ἐπ' ἐσχάτῳ κειμένην, ἅτε διαμνημονεύουσαν γάμον, ὃν σεμνὴ παρθένος κἂν ἑτέρου λέγοντος ἠρυθρίασε· καὶ τοσοῦτον ἐξεφοινίχθη τὸ πρόσωπον, κ. τ. λ. *Ita, simul in Dianæ sedentem puellam vidisti; malum Cydonium fallaci circum inscriptione litterarum prouoluisti clanculum ante famulæ pedes, quod illa statim, & molem & colorem pomi mirata, rapuit; — Tene pomum, Domina, quale non vidi ego ante hac: — Dic mihi, carissima, quid sibi vult inscriptio hæc? Tum puella suscepit malum, oculis percurrit scripturam, perlegit titulum, in hæc verba conceptum: Per Dianam, Acontio nubam! Adhuc iusiurandum, quamuis & inuitum, nec legitimum, proferebat, quum amatorium sermonem verecundata proiecit, dimidiatamque reliquit vocem vltimam, quippe in qua nuptiarum mentio, quas etiam aliis loquentibus erubescunt honestæ virgines. Denique ita multum erubuit &c.* Pluscula adscripsi verba, quo facilius, quodnam ex his in mendo cubare censeam, indicare possim. Missis igitur ambagibus, vnius litterulæ

terulæ perquam exigua mutatione, auctorem reliquiſſe opinor: τὸν ἐρωτικὸν ΛΟΓΧΟΝ α. α. *amatorias inſidias.* Dignum id arguta Noſtri dictione, nec meliùs ſane appellare poterat malum, iuris iurandi formula, ſiue, vt antea dixerat, ἀπάτης λόγῳ, notatum, quo ſimplicis & incautæ puellæ, quam deperibat, callidiſſime animum ſibi obſtrinxit Acontius. Vulgatæ contra lectionis, quis, rogo, languor? Quid, quod Ouidio, fabulam iſtam verſibus cultiſſimis canenti, eandem placuiſſe licentiam videmus Heroid. XXI. v. 107. ſequ.

Mittitur ante pedes malum cum carmine tali:

Heu mihi! iuraui nunc quoque pæne tibi.

Suſtulit hoc nutrix, miratoque, perlege, dixit,

Inſidias legi, *magne poëta, tuas.*

qui locus mirum in modum cum ſcriptoris Græci verbis conſpirat. Cur quas hic *lectas* a virgine fuiſſe narrat, non æque venuſte *abiici* fingat Ariſtænetus *inſidias*, cuius oratio ſubinde illam poëtarum quidlibet audendi poteſtatem ſibi arrogat? Acontius apud vatem eundem Heroid. XX. v. 66.

Inſidiis eſto capta puella meis.

& v. 209. in memoriam reuocat puellæ

— — — — *volubile malum,*

Verba ferens doctis insidiosa modis,

Mendum vox eadem: λόγος, intulit Sophocli Oedip. Colon. v. 242. vbi Antigone, Oedipum patrem, post nefas fatale patefactum, orbatum oculis, regnoque extorrem, vltro comitata, cum fines Atheniensium intrassent exsules, ciuiumque chorus, nomine audito viri, simul religione quadam motus, locum enim insederat, sacratum Furiis, nec vlli mortalium accedendum, hospitium primo denegasset, senum miserationem supplicibus precibus excitatura, plorabunda pergit:

— — ἀλλ' ἴτε, νεύσατε
Ταὶν ἀδόκητον χάριν,
Πρός σ' ὅ, τι σοὶ φίλον ἐκ σέθεν, ἅντομαι,
Ἤ τέκνον, ἤ λόγος, ἤ χρέος, ἤ θέος.

Sed agite, ne denegate insperatum beneficium, obsecro te, per si quid charum tibi est, siue filius, siue oratio, siue res, siue Deus. Cuncta inesse in hac obsecratione cernimus, quæ hominibus vulgo sunt carissima, liberos, bona, & sacra auita. Verum quid inter ista λόγος faciat? Equidem reponere meo periculo ausim: ΛΕΧΟΣ. Coniugium coniugesque ipsos a poëtis sic appellari quàm frequentissime, non facile quemquam fugerit. Sophocles ipse Antig. v. 1415.

— — — κωκύσασα μὲν

Τῦ πρὶν θανόντος μεγαρέως κλεινὸν λέχος.

Deplorans prioris coniugis inclutum thorum, & v. 645.

— — — — ἆρ' ἀχνύμενος
Τάλιδος ἥκει μόρον Ἀντιγόνης,
Ἀπάτας λεχέων ὑπεραλγῶν.

vtique dolens venit ob mortem Antigones, defraudarique ſua coniuge dolens. Euripides Iphig. Aul. v. 1355.

— — — τὴν ἐμὴν
Μέλλουσαν εὐνὴν μὴ κτανεῖν,

vbi cf. Barnes. Helen. v. 590.

— — θεοπόνητ' ἔχεις λέχη

& v. 596.

Λείψεις γὰρ ἡμᾶς, τά δ' ἐν' ἐξάξεις λέχη.

Danâe, v. 107.

Γυνὴ γὰρ ἐξελθοῦσα πατρῴων δόμων,
Οὐ τῶν τεκόντων ἐστίν, ἀλλὰ τοῦ λέχους.

Phaëth, v. 31.

— — δοῦλός ἐστι τοῦ λέχους.

Sed plura desino. De verbis quibusdam, similem vim habentibus cf. summus elegantiarum arbiter, perill. Klotzius ad Tyrt. p. 64. ed nou. — Coniunxit eadem Lucanus Pharsal. L. VII.

— *quisquis patriam, carosque penates,*
Qui sobolem ac thalamos, desertaque pignora quærit,
Ense petat! — —

nec non Helena apud Homer. Odyss. Δ. v. 263.

— ὅτε μ' ἤγαγε κεῖσε φίλης ἀπὸ πατρίδος αἴης,
Παῖδά τ' ἐμὴν νοσφισσαμένη, θάλαμόν τε, πόσιν τε.

quando me duxit illuc chara a patria terra, filiamque meam separans, thalamumque, maritumque.

At cui bono in re non dubia, vtar testibus non necessariis? —

Hygini loca quædam male affecta, quæ Stauerenii aciem effugerant, nuper in epistola critica, ad Cl. Meuselium, collegam nunc & amicum coniunctissimum, scripta, sanare conatus sum. Verum nescio, quomodo tunc oblitus sim fabulæ CCII. mendo hodienum fœdo deformatæ, quod iam animus est eluere. *Apollo cum Coronida Phlegyæ filiam, grauidam feciſſet, coruum custodem ei dedit, ne quis eam violaret. Cum ea & Ischyus, Elati filius, concubuit. Apollo — coruum,*

qui

qui cuſtodiam præbuerat, ex albo in nigrum commutauit. Verba hæc, ciara ceterum ſatis atque expedita, ſub finem difficultate haud mediocri laborant. Quid eſt enim; *præbere cuſtodiam* aut quænam his verbis erit ſubiicienda ſententia? Emendandum, niſi me fallunt omnia, *cuſtodiam PRODIDERAT*, id eſt, qui per ſocordiam, ſiue etiam perfidiam, cuſtodiam rei demandatæ male geſſerat, qui defuerat officio, nec curæ ſatis, ſollertiæque ei impenderat. Multum facit ad coniecturam meam ſtabiliendam Luciani locus in Somnio, ſiue Gallo. T. II. Opp. p. 161. ed. Græu. Galli, adoleſcentis quondam, pœnas eiusdem prorſus negligentiæ ſubeuntis, fata triſtia continens, quem integrum apponam: Ἤκουσά τι καὶ πάλαι τοιοῦτον, — ὡς Ἀλεκτρυών τις νεανίσκος, φίλος γένοιτο τῷ Ἄρει, καὶ συμπίνοι τῷ θεῷ, καὶ συγκωμάζοι καὶ κοινωνοίη τῶν ἐρωτικῶν. Ὁπότε γὰρ ἀπίοι παρὰ τὴν Ἀφροδίτην μοιχεύσων ὁ Ἄρης, ἐπάγεσθαι καὶ τὸν Ἀλεκτρυόνα, καὶ ἐπειδήπερ μάλιστα τὸν Ἥλιον ὑφεωρᾶτο, μὴ κατιδὼν, ἐξείπῃ πρὸς τὸν Ἥφαιστον, ἔξω πρὸς ταῖς θύραις ἀπολείπειν ἀεὶ τὸν νεανίσκον, μηνύσοντα, ὁπότε φαίνοι ὁ Ἥλιος. Εἶτα ποτὲ κατακοιμηθῆναι μὲν τὸν Ἀλεκτρυόνα, καὶ ΠΡΟΔΟΥΝΑΙ ΤΗΝ ΦΡΟΥΡΑΝ ἄκοντα, τὸν δὲ Ἥλιον λαθόντα ἐπιζῆναι τῇ Ἀφροδίτῃ, καὶ τῷ Ἄρει, ἀφροντιδὶ ἀναπαυομένῳ, διὰ τὸ πιστεύειν τὸν Ἀλεκτρυόνα μηνῦσαι ἄν, εἴ τις ἐπίοι, — ἀφεθέντα δὲ τὸν Ἄρην ἀγανακτῆσαι κατὰ τοῦ Ἀλεκτρυόνος, καὶ μεταβαλεῖν αὐτὸν εἰς τοῦτο τὸ ὄρνεον κ. τ. λ. *Olim neſcio quid inaudieram — adoleſcentulum quendam fuiſſe Gallum Martis adamatum, atque hunc Deo compotaſſe, colluſitaſſeque & in voluptatibus geſſiſſe morem. Itaque cum Venerem adiret Mars, cum ea concubiturus, hunc quoque Gallum vna ſecum adduxiſſe. Quoniam autem Solem potiſſimum metueret, ne, ſi id e ſublimi conſpexiſſet,*

xiſſet,

xiſſet, Vulcano ſe proderet, foris ad oſtium adoleſcentem relinquere ſolitum, qui Solis ortum indicaret, deinde Gallum aliquando ſomno correptum, excubias deſeruiſſe neſcientem; Solemque nullo præſentiente imminuiſſe Veneri & Marti, ſecure dormienti propterea, quod confideret, Gallum, ſi quis interueniret indicaturum. — Porro, Martem, ſimul atque dimiſſus eſt, indignatum aduerſus Gallum fuiſſe, eumque in auem hanc mutaſſe cet. In Ouidio L. II. Metam, v. 535 - 632. Coronidis hiſtoriam perſequuto, nihil præſidii. Non enim coruum cuſtodem ignauum, ſed garrulum, ac male ſedulum deſcribit, cui lingua damno fuerit, v. 540. & Phœbus v. 614.

Odit auem, per quam crimen, cauſſamque dolendi
Scire coactus erat. — — —

Semel in manus ſumto Luciano, ecce! occurrit Apuleius, nosque, vti menda quædam ex Metamorphoſeos ſuæ libris Rabeneri Samoſatenſis auxilio, cuius Lucium perpetua imitatione reddidit, eluamus, in tempore admonet. L. VII. p. 196. ed. Elmenhorſt. Lucius infelix, transformatus in aſinum, & pro Lucio iumentum, ſenſum tamen retinens humanum, vt ait L. III. p. 140. cum fruſtra liberatæ a latronibus ſponſæ Tlepolemi pretium, vacationem puta a laboribus, otiumque iucundum ſperaſſet, fortuna, vt ſemper, aduerſante; ignaris dominis ruri ab agaſone puero crudeliter habitus, poſt varias fraudes hominis nequiſſimi commemoratas, *denique*, addit, *tale facinus in me comminiſcitur. Stuppæ ſarcina me ſatis onuſtum, propereque funiculis conſtrictum, produ-*

cit

cit in viam, deque proxima villula spirantem carbunculum furatus, oneris in ipso meditullio reponit. Iamque fomento tenui calescens & enutritus ignis. surgebat in flammas, & totum me funestus ardor inuaserat. Aegre hic mihi quidem *propere* illud locum tueri posse videtur, nulla enim caussa festinationis adest. neque si rem consideres attentius, improbo agasonis respondet consilio, negligenter & raptim constringere sarcinam, quæ quanto firmius dorso, pressiusque inhæsisset, tanto magis vectorem excruciatum pessum dare poterat. Quocirca probabiliter rescribendum fuerit: *PROBE*, suadente in primis, quem dixi, Luciano in Asino p. 98. T. II. ed. Græu. *Καὶ πότε κελεύεται συππεῖον ἐξ ἑτέρου χωρίου εἰς ἕτερον χωρίον μετενεγκεῖν. Κομίσας οὖν με, καὶ τὸ συππεῖον τὸ πολὺ συνενεγκὼν, κατέδησε ἐπ' ἐμὲ, καὶ δεσμῷ ἈΡΓΑΛΕ΄ΩΙ ἘΥ ΜΑ΄ΛΑ προσέδησε με τῷ φορτίῳ, κακὸν ἐμοὶ μέγα τυρεύων. Iussus aliquando stuppam de vna regione in aliam transferre, allatam illam dorso meo alligauit, & me arcto admodum vinculo cum onere vinxit, magnum mihi moliens malum.*

O factum bene! Feliciter præsens discrimen euasit Lucius, nec ita multo post oculos adspectu magistri acerbissimi, ab vrsa immani membratim lacerati, pauit. Nouum tamen, atrociusque aliquanto mox subit periculum. Venditur ille circulatoribus, *qui per plateas & oppida cymbalis & crotalis personantes, Deamque Syriam circumferentes, mendicare compellunt*, L. VIII. p. 212. hominisque opulenti hospitio excepti, conuiuium ineunt. Interea coquus seruus cerui pinguissimo femore per incuriam perdito, desperabundus, mortemque sibi præ metu vindictæ herilis consciscere volens, ab vxore, vt asino aduena clam iugulato, femur eius ceruini vice, domino apponat, callide admonetur. *At ego*, Lucius

 ait,

ait, L. IX. p. 217. inſperatus conſilii trucu'enti arbiter, *præcipitante conſilium periculi tanti præſentia, nec exſpectata diutina cogitatione, lanienam imminentem fuga vitare ſtatui, protinusque vinculo, quo fueram deligatus, abrupto, curſu me proripio totis pedibus, ad tutelam ſa ubrem crebris calcibus velitatus, illicoque me, raptim tranſcurſa proxima porticu, triclinio, in quo dominus æditum ſacrificales epulas cum ſacerdotibus Deæ cænitabat, inconſtanter immitto, nec pauca rerum apparatus cibarii, menſas etiam & id genus impetu meo collido atque diſturbo.* Iuuit adſcribere locum integrum, quo melius, quantum inter Luciani orationem ſimplicem, caſtigatamque, ac naturali ſepulchritudine vnice commendantem, atque tumidum & maculoſum genus dicendi, quo vtitur Apuleius, interſit, noſci queat. Verba: *id genus*, ex codicibus Florentinis, Bertiniano & Romana editione ab Elmenhorſtio bene reuocata, non de nihilo adeſſe patet. Cui tamen, vt nunc ſunt collocata, probari poterunt, aut quis tandem auribus tam parum doctis ſit & faſtidioſis, cui non mendoſum tinniant; Medicinam circumſpicientem vetat trepidare diutius Lucianus l. c. pag. 104. Ῥήξας τὸν ἱμάντα, ᾧ διηγόμην, καὶ ἀνασκιρτήσας, ἔμαι δρόμῳ ἔισω, ἔνθα ἐδείπνων οἱ κύναιδοι σὺν τῷ δεσπότῃ τῶν ἀγρῶν. Ἐνταῦθα εἰσδραμὼν, ἀνατρέπω πάντα τῷ σκιρτήματι, ΚΑΙ ΛΥΧΝΙΑΝ, καὶ τραπέζας. *Fracto, quo ducebar, loro proſiliens, feror intus curſu, vbi cum ruris domino cinædi cænabant; quo curſim ingreſſus, ſaliendo lumen & menſas ſubuerto.* Verbum etiamnum addam? *LYCHNOS*, librariis, vtpote Græcæ originis, minus notos ideoque abiectos inter ſcruta, denuo reponendos eſſe doceam? —

Gratam nunc vicem Luciano, vindici Apuleii noſtri cer-

certiſſimo, æquum eſt rependere, & quem male habere liquet locum, conſiderare diligentius, ſi opera forſàn noſtra priſtinam recuperare ſanitatem queat. Lib. de Gymnaſiis T. II. p. 276. ed. Græu. Anacharſis, philoſophus, Scytha, cum Solone ſuper exercitationibus corporis, quibus filios Athenienſium adoleſcentes operam dare in palæſtra nauiter animaduertebat, & qualem geſturis aliquando militiam, vſum præbere poſſint, inſtitutis etiam populi ceteris, ſermones ingenioſiſſimos miſcens, laudibus meritis proſequutus hoſpitem; διὸ inquit, καὶ σε μάλιστα φίλον ἐξ ἁπάντων Ἀθηναίων, καὶ ξένων, προειλόμην κατὰ κλέος, ἐπείπερ ἤκουον νόμων τε τινῶν ξυγγραφέα εἶναί σε, καὶ ἐθῶν τῶν ἀρίστων εὑρετήν, καὶ ἐπιτηδευμάτων ὠφελίμων εἰσηγητήν, καὶ ὅλως, πολιτείας τινὸς συναρμοστήν. *Quapropter te potiſſimum ex omnibus, Athenienſibus & peregrinis amicum elegi, famam ſequutus; ſiquidem audiui, te legum optimarum eſſe ſcriptorem, morumque præſtantiſſimorum inuentorem, & inſtitutorum utilium auctorem, denique rei publicæ cuiusdam concinnatorem.* Non ita præclare & magnifice Anacharſis de Solone ſenſiſſet, ſi legum tantum *quorundam* auctorem vocaſſet, quæ laus illi cum principibus ciuitatum ignobilibus plurimis communis eſſe debebat. Minime autem exiguum legum, quas vir diuinus condidit, numerum fuiſſe conſtat; etenim certam diſciplinam viuendi, iuris æquam deſcriptionem, religionum ritus, denique, quæ ad rem publicam rite conſtituendam pertinere videbantur, cuncta ingenti animo, ſapientia incredibili, complexus eſt, legibusque ſaluberrimis ſanciuit. Quam ingrata etiam τῦ τινὸς, eodem pæne verſu, eſt repetitio? Certe non admodum metuo, ne temeritatis, aut libidinis cuiusdam **ianæ, ſaniſſima quæque coniecturis ſine fine tentandi, notam incurram, cum

præſertim vitium iam ſuboluerit interpreti veteri, reſcribens: νὸμων τε ΤΙΜΙΩΝ, *legum inſignium*, *fama celebratarum* quæ lectio pulchre, cum his, qua ſequuntur proxime, conſpirat, vbi ἄρισα & ὤφελιμα alia Solonis inuenta vocantur. Reitzii editionem ſplendide macilentam fruſtra hic, vt fere ſemper, conſului.

Stratonis aliorumque veterum poëtarum Græcorum epigrammata ex codice Vinarienſi perilluſtris Klotzius, Vir laude noſtra maior, primus publici iuris faciens, (*) grauioribus tunc forte diſtrictus negotiis, loca quædam obſcuriora ſupereſſe voluit, in quibus conſtituendis rectius iuniorum ſe experiretur induſtria. Videamus, an opera noſtra carminibus mellitiſſimis maculas quasdam abſtergere poſſimus. Epigr. XII. p. 53. n. 4.

Βυπωιητὲ μέλισσα, πόθεν μέλι τὲμόν ἰδὲσα,
Παιδὸς ἐφ' ὑαλέην ὄψιν ὑπερπέτασαι;
Οὐ παύση βομβεῦσα, καὶ ἀνθολόγοισι θέλεσα
Ποσσὶν ἐφάψασθαι χρωτὸς ἀκειροτάτε;

Non capio; ait Vir maximus, p. 76. *an latet verbum a κηρὸς deducendum? Sed inde fit, ni fallor*, ἀκήρωτος, virque alius doctus, an ἀκειροτάτε forte idem, quod ἀκειρεκὸμε vel ἀκερσεκὸμε ſignificet, quærit. Quid ſi tentemus: ΑΚΗΡΟΤΑ΄ΤΟΥ? Certe eadem plane coniunxit Philoſtratus epiſtola XXXVI. p. 929. ed. Olear. quam puellæ cuidam amator ſcripſiſſe fingitur: Ἐπυθόμην, ὡς τὰ ῥόδα, ἐλθόντα παρὰ σὲ, ὅσα χρέος ἀπέβαλεν, ἐγώ τε γὰρ ἐνετειλάμην αὐτοῖς, καὶ ὡς ἐκπιόντα ΑΚΗΡΑ΄ΤΟΥ ΧΡΩΤΟ΄Σ τῆς σῆς δρόσε. κατέσχον τὴν ψυχὴν &c. *Audiui, vt roſæ, cum ad te peruenissent, quaſi debitum perſoluerint, nam & ego id*

(*) Altenburgi, 1768 8.

id in mandatis dederam eis, vtque vicissim de rore tuo ex purissimo corpore bibentes, vitam retinuerint. — Epigr. XVII. p. 57. v. 6.

Ὃς μὲν γὰρ καλέσας ἐπὶ τὶ χρέος, εἶτ' ἀπολύσας
Εὗδει, κύριος ὤν, μηδὲ λόγον μεταδὲς.

Non damno prorsus hanc lectionem, elegantius tamen, & Græce magis scriptum fuisse autumo. ΛΟΓΩΝ μεταδὲς. Sic Epigr. XV. p. 56. v. 3. ἱλαρῆ μεταδὸς τι φιλήματος. Achill. Tat. L. IV. p. 235. ed. Salmas. λόγων μεταδότω. Lucian. in Gallo. T. III. p. 735. ed. Reitz. ἠδὲ λόγε μεταδιδῆς ἐνίοτε. — Epigr. XXIX. p. 64. v. 4.

Καὶ γὰρ δὴ τὰ σὰ, κῆρε, τὰ καὶ κωφοῖσι λαλεῦντα
Ὄμματα, καὶ μὰ σὸν φαιδρὸν ἐπισκύνιον.

Claudicat versiculus posterior, neque enim μὰ producitur. Inserendum, quod excidit male, fulcrum: μὰ ΤΟ' σὸν — Epigr. XXXI. p. 65. v. 1.

Εἰ χλαμύδ' εἶχεν Ἔρως, καὶ μὴ πτερὰ, μηδ' ἐπὶ νώτων
Τόξα τε καί φαρέτραν, ἀλλ' ἐφόρει πέτασον,
Ναὶ μὰ τὸν ἀβρὸν ἔφηβον ἐπόμνυμαι, Ἀντίοχος μὲν
Ἦν ἂν Ἔρως· ὁ δ' Ἔρως, τ' ἄμπαλιν Ἀντίοχος.

Quomodo χλαμὺς, *sagum*, adolescentulo delicato & formoso ita conueniat, vt Amor, eo amictus, Antiochi personam simulare possit? Ne longum faciam, corrigendum puto: ΧΛΑΝΙ'Δ', qua veste, vt notum, pueri vtebantur & molles homines. Operæ est pretium, conferre de hoc vestimentorum genere, vocumque adeo istarum non infrequenti confusione pluribus differentes Græu. ad Luciani Amor: T. I. Opp. p. 1001. Doruill. ad Charit. p. 385, & V.

D. in Obſeruatt. Miſcellan. Vol. III. T. III. p. 414. Epigr. XLIII. p. 72. v. 2.

Τλῆμον Ἔρως ἀ θῆλυν ἐμοὶ πόθον, ἀλλὰ τιν' ἀεὶ
Δινεύει ſεροπὴν κύματος ἀφρογενικᾶ.

vix equidem putem excuſari poſſe: *ſεροπὴν κύματος*. Leuiſſima mutatione liceat reducere; ΚΑΥΜΑΤΟΣ, quod verbum optime ad *ſεροπὴν* refertur, cuius, vt ſcimus, cauſſa eſt, & materies. Eodem ſenſu Epigr. XLI. p. 71.

Οὐ μοι θῆλυς Ἔρως ἐγκάρδιος, ἀλλά με ΠΥΡΣΟΙ
ΑΡΣΕΝΕΣ ἀσβέσῳ θῆκαν ἐπ' ἀνθρακιῇ

XXIII. p. 60.

Ἁ Κύπρις θήλεια ΓΥΝΑΙΚΟΜΑΝΗ ΦΛΟΓΑ βάλλει,

atque XXII. p. 59.

— — — — ἐν ΠΥΡΙ ΠΑΓΔΩΝ
Βαλλόμενος, κεῖμαι λέιψανον ἐν σποδιῇ.

Atque hæc quidem ex more antiquitus inſtituto, a noſtræ diſciplinæ ratione, & quas iuuenes, ſtudia humanitatis æmulantes, æquum eſt attingere, litteris, minime abhorrentia, exiſtimaui eſſe præmittenda, antequam ad illud ipſum, cui publice expromendo tabulæ hæ deſtinatæ ſunt potiſſimum, mea ſe conuerteret oratio. Geſtit enim iam pridem animus, conceptum pectore intimo pietatis, mentisque gratiſſimæ ſenſum, quo, ſicut ſupremæ numinis æterni benignitati, ita, qua proxime in terris ad ſpeciem diuinitatis accedit, magnorum principum beneficentiæ, liberalitatique optimum quemque obſtrictum eſſe decet, verbis vtcunque declarare, quamuis beneficii, quod accepi, magnitudine & oppor-

opportunitate exiguam meam in dicendo facultatem longiſſime ſuperari non diffitear. Quoties enim mecum ipſe conſidero, me eſſe, cui EMINENTISSIMVS ac CELSISSIMVS PRINCEPS & DOMINVS DOMINVS EMERICVS IOSEPHVS, *S. Sedis Moguntinæ Archiepiſcopus, S. R. I. per Germaniam Cancellarius & Princeps Elector, Epiſcopus Wormatienſis, Pater Patriæ Optimus*, auctoritate ornato, ſuffragioque ſplendidiſſimo REVERENDISSIMI & ILLVSTISSIMI DOMINI, DOMINI CAROLI GVILIELMI IOSEPHI ADAMI L. B. DE BREIDENBACH IN BVRRESHEIM, *Metropolitan. Eccleſ. Mogunt. Collegiat. Equeſtr. S. Alban. Canon. Capit. Eminent. ac Celſiſſ. Princ. Elect. Mogunt. & Epiſc. ac Princ. Herbip. a Conſiliis intimis, Principis in Ciuitate ac ditione Erfordienſi vices gerentis*, philoſophiæ, quæque elegantiores vſurpantur, litterarum in Academia Erfordienſi incluta, famaque antiqua celebratiſſima, publice docendarum prouinciam clementiſſime demandauerit, an quidquam hoc munere aut honorificentius mihi, aut iucundius votis potuiſſet expeti, prorſus neſcio. Iam, quod adhuc ſpectaui vnice, licet graues multorum inimicitiæ mihi excipiendæ fuerint, calumniæque perferendæ, diſciplinis manſuetioribus, quarum cultui adoleſcentulus totum me deuoueram, ita me dabitur aſſerere, vt cum alii plurimi non niſi per temporis quoddam ſpatium exiguum ad iſtas poſſint diuertere, animumque feſſum recreare, ego nunquam a ſuauiſſimo diuellar conſortio, humilesque curas ac ſordidas mandans aliis, in his vigiliam, in his etiam ſomnum reponam; iam viris elegantiſſimis & integerrimis, *Riedelio*, *Meu-*

*Meuſelio*que meis, quos mecum voluntatum, ſtudiorum, ſententiarum ſumma coniunxit conſenſio & quorum ego ſic conſuetudine affici ſoleo, vt ea ſublata, vitam minus mihi vitalem putem, vti licebit familiariter, fructusque familiaritatis huius capere dulciſſimos, quorum nulla dies tædium mihi, ſatietatemue afferet. Quæ cum ita ſint, ſummam & ſingularem prorſus Principis noſtri Clementiſſimi indulgentiam, præclariſſimumque litteras tuendi fouendique ſtudium, id quod, ſicut diuinas ipſius virtutes ceteras, non noſtra tantum ætas, ſed poſtera quoque ſæcula admirabunda prædicabunt, cum laudibus digne ſatis extollere nequeam, tacita veneratione proſequar, atque dum anima ſpirabo, memoriam lati de me iudicii obſequio colam ſempiterno, enixam pro virili operam daturus, ne induſtria, integritate, innocentia, fide, quæ ſola præſtare poſſum, facile me a quoquam ſuperari patiar, neue quod gerere iuſſus ſum, muneri deeſſe vllo modo videar. P. P. in Academia Erfordienſi d. XXII. Septembr. CIↃIↃCCLXVIII.

Bayerische Staatsbibliothek München

Otto Gllch
Prägeanstalt · Buchbinderei
Digitized by Google